tantum in maiestate sensuum profundissimum est; Hoc uerbum quod factum est
ad hieremiam a domino dicens: Haec dicit dominus deus israhel dicens: Scribe tibi omnia
uerba quae locutus sum ad te in libro; Ecce enim dies ueniunt dicit dominus et con
uertam conuersionem populi mei israhel et iuda ait dominus deus et conuertam eos
sue sedere faciam in terra quam dedi patribus eorum et possidebunt eam.
Promittentibus in babilone pseudoprophetis cito populum qui cum iechonia cap
tus fuerat reuersurum et anania filio azur in hierusalem eadem praedicante;
hieremias propheta et illud quidem futurum asseruit non intra biennium ut illi
mentiebantur sed finitis septuaginta annis; et nunc scribere iubet in libro
et memoriae tradere quae dudum uentura pronuntiat; Ex quo manifestum est
nequaquam uicinum tempus esse uaticinii sed multa post tempora haec conplenda
quando israhel et iuda reuersuri sunt in terram suam et implendum illud
quod hiezechiel propheta ait duas uirgas sibi pariter copulandas et im
peraturum dauid regem de quo scribit: et seruus meus dauid rex super eos
et pastor unus erit omnium eorum. Si quid igitur in illa prophetia diximus et hic
in praesenti loco intellegendum est; praesertim cum eadem et eo tempore hie
zechiel in babylone et hieremias in hierusalem prophetauerint; Et haec
uerba quae locutus est dominus ad israhel et ad iudam. quoniam haec dicit dominus: Uocem ter
roris siue timoris audiuimus formido et non est pax. Interrogate et ui
dete si generat masculus quare ergo uidi omnis uiri manum super lumbos
suos quasi parientis et conuersae sunt uniuersae facies in auriginem;
primum tristitia adnuntiantur ut post malorum magnitudinem laeta succedant;
Gratior quippe est sanitas aegrotatione depulsa et doloris magnitudo
in magnitudinem uertit gaudiorum. Quod autem dicit hoc est tantus erit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0300